153

Nos Joannes dei gracia Rex Hungarie Dalmatie Croatie etc. Memorie commendamus tenore presencium significantes quibus expedit universis Quod nos attentis et consideratis fidelitate et fidelium serviciorum gratuitis cumulatisque meritis fidelis nostri Egregii Joannis Galanczy Aulici nostri Que ipse nobis et Sacre Corone Regni nostri sedulo ac diligenter cum summa semper fide exhibuit et impendit. Cum vero cupientes Regnum hoc nostrum accolarum multitudine augeri et etiam frequentia pagorum decorari Idem eidem de gratia nostra speciali et Regie nostre potestatis plenitudine matura superinde deliberatione prehabita annuendum et concedendum duximus ut ipse in Alpibus sub Nyharlo vocatis in Comitatu Hwnyadiensi existentibus et habitis que ipsum ut asserit iure hereditario concernerent pagum seu villam denuo edificare ac pagare illamque ipse et consequenter Generosa domina Anna consors sua ipsorumque heredes et posteritates utriusque sexus universe libere imperpetuum successivis semper temporibus possidere valeant atque possint. Ita tamen ut iidem huiusmodi villam seu pagum intra metas territoriorum suorum edificare et pagare teneantur neque metas aut territoria aliorum nunc vel in futurum quomodocunque occupare debeant. Assecurantes nihilominus eosdem quod nos prefatam possessionem in predictis Alpibus sub denuo ut prefertur pagandam nullo unquam tempore pro Maiestate nostra aut ad castrum nostrum Dewa occupare faciemus aut occupari permittemus Sed eos in pacifico dominio eiusdem conservabimus et manutenebimus et ab aliis quoque volumus conservari et manuteneri Immo annuimus et concedimus ac assecuramus harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante. Quocirca vobis fidelibus nostris Spectabilibus et Magnificis modernis futurisque Waywodis nostris Transsilvanis ipsorumque vicewaywodis necnon Egregiis et Nobilibus comitibus vel vicecomitibus et Iudlium Comitatus Hwnyadiensis Item castellanis ac provisoribus aliisque officialibus predicti castri nostri Dewa modernis et futuris presencium scilicet noticiam habituris harum serie firmissime committimus et mandamus quatenus habita presencium noticia prescriptam villam seu pagum per prefatum Joannem Galanczy de novo ut prefertur pagandam nullo unquam tempore ab eisdem Joanne Galanczy ac domina Anna consorte sua ipsorumque heredibus et posteritatibus utriusque sexus universis ad predictum castrum nostrum Dewa vel ad alium quemcunque locum occupare vel occupari facere seu pro vobismet ipsis usurpare et appropriare aut ipsos in eisdem quomodocunque turbare seu molestare presumatis nec sitis ausi modo aliquali gratie nostre sub obtentu presentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Albe Iulie feria secunda proxima post festum Ascensionis domini Anno eiusdem Millesimo Quingentesimo Tricesimo primo Regnorum nostrorum anno quinto.

Relatio Spectabilis et Magnifici domini Stephani Bathory de Somlyo comitis comitatus de Zabolch ac Waywode Transsilvani.

8.

ARHIVELOR STATULUI CLUJ DEPOZIT
54
1531
K II 8

Ath Stel

Sta

fo XXX

Anno d 1531

A
Batrina qui alias
Hyarlo fuit

Annuentia Joannis Regis
Jogy Balanczi Janis
Hyarlo Janasba fecerunt
Balithasson

6